Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.iij.

dilectum cordi imprimerent si valerent. Igitur si in corpore materiali nobilius quanto anima est corpore melius. Nota ergo ad hec quod omnium humanarum affectionum amor est fontale principium sicut sol omnium radiorum radix in arbore omnium fructuum et ramorum et fons omnium rivulorum et more omnium aquarum. Amor enim calamitice est virtutis quia sicut illa ferrum totaliter ad se trahit. Sic amor totum cordis domum ad se rapit. Vide qui amorem suum alteri donat dat ei per consequens omne quod est omne quod potest omne quod habet ymo quicquid habere potest. Quare si amor bonus est bona sunt omnia que scilicet arboris et fructus est bonus. Et si radix sancta et rami quia cuius causa efficiens bona est et effectus similiter bonus est. Si autem amor malus et carnalis est mala erunt omnia que producet quia ex arbore mala nequiunt esse bona poma quia cum causa efficiens bona non est nec quod ex ea producitur bonum est. Et ideo brevissima et verissima diffinicio virtutis ut doctor egregius dicit est ordo amoris.

De secundo inductivo ad caritatem quod est brutorum exemplum .xlv.

Secundum ad amorem inductivum est brutorum exemplum. Turpe est et a racione contrarium extraneum est ut amor et affectio nobilissima inveniatur in brutis sed in homine inveniri vix possit. Accipe igitur ante omnia columbarum exempla que sunt avem domestice omnibus quasi note. Nam columbe sic mutue se amantes simul incedentes et stantes simul escam accipientes se mutuo osculantes et homini nisi per conversacionem amantes ymo columbe se tantum diligunt quod filios aliarum si necesse est nutriunt ut columbas errantes ad se colligunt. Insuper de hospitalitate peregrinorum nos instruunt. Coturnices pirie sunt que per terram citissime currunt suam speciem valde diligunt et vociferando se mutuo requirunt ymo de amore nos instruunt et quod

125